Ia

Notabile magistri henrici de hassia in lectura sua. Speciales et singulares persone religiose viventes proprie peccare videntur in temerariis iudiciis. In aliorum contempnacionibus et suis ostentacionibus. In operibus eorum adhesione sue prudencie. In impacientibus sue impaciencie. In factis de se estimacionibus confidenciis et displicenciis. In detractionibus et murmuracionibus et super alia defectus considerent in discrecionibus etc.

Beda super illud. Omne gaudium existimate etc. dicit. Ne indignemini si mali in hoc mundo floreant et vos patiamini. quia non est christiane dignitatis in hoc mundo exaltari et prosperari sed potius deprimi. Mali enim nichil habent in celo. vos nichil in hoc mundo. Sed spe illius boni ad quod tenditis. quasi in vera patria constituti gaudere debetis. Nichil est unde doleatis unde dubitetis. Hec ille.

Augustinus. Qui nos amat. querit quod laudet in nobis. Qui vero nos odit. detrahit nobis. Crisostomus. Malos qui ignoret offendit invenit odium qui arguit criminosos. Seneca. Sola miseria caret invidia Post gloriam solet sequi invidia [illegible].